CLARISSIMIS IN AVGVSTA FRANCORVM CVRIA TRIVMVIRIS REGIIS, SACRIQVE CONSILII ASSESSORIBVS FRANCISCVS ELLAIN S. P. D.

GLADIATORES emeriti, & rude donati olim arma sua consecrabant Herculi, qui ipsis, & Athletis omnibus præesse dicebatur. Nos huius biennis militiæ vacationem propediem deprecaturi & impetraturi, (si Imperatoribus, laborum nostrorum æquis æstimatoribus, & legitimis iudicibus ita videbitur) postremi certaminis arma vobis suspendimus, Hippocraticæ familiæ præsidibus, & conseruatoribus. Quibus authoribus & postulantibus Senatus salutis mentísque publicæ Princeps labenti, & barbarorum imperitorúmque iniuriâ propè cadenti Medicinæ Architectonicæ spiritum, sanguinem, & pristinum nitorem restituit. Cuius beneficij memoriâ sempiternâ addictam, deditam, obstrictam non solùm medicorum scholam, sed vniuersam Galliam vobis habebitis. Saluete, fauete, Viri Clarissimi.

AD CARDINALITIAM QVAESTIO MEDICA MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVI. MARTII CLARISSIMO VIRO D. GVILLELMO LVSSON MEDICO REGIO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An à tribus externa?

MORBI quidam interni, quidam externi: causæ quoque & remedia. Internos externósque morbos externæ causæ faciunt, fouent internæ, coniunctæ præsertim, eædem ac continentes. Remedia interna internis externísque morbis æquè auxiliantur, & externa vtrísque. Remediorum qualitatem, quantitatem, & cæteras conditiones, quæ ad vtendi modum pertinent, definit ars vna, eadémque architectonica, quæ medicina nominatur. Materiam ministrant innumeræ artes aliæ: præcipuæ sunt ex his pharmacia, & chirurgia: vtráque medicinæ necessaria, & sic addicta, ac mancipata, vt sine medicinæ magisterio, illa venefica, hæc ipsa etiam carnificina censeatur.

PHARMACEVTICA materia non angusto apothecæ spacio, & narthecio concluditur, sed ex amplissimo naturæ sinu depromitur: ex plantis, animalibus, metallicis, terrenísque corporibus. In his deligendis, præparandis, & miscendis pro vario medici scopo pharmacia consistit: chirurgica verò materia manus est, &, quæ ad manum sunt, instrumenta. Manum instruit chirurgia, & cætera instrumenta instructa habet ad iussum, scopúmque medici, vt promptè, iucundè, eleganter operetur.

SCOPVS medici, in externorum remediorum vsu, est morbi morbificæque causæ ablatio: ea fit medicamentis, & clementioribus remediis, quæ corporis naturam sensim alterant, & minùs terrificis, vt laqueis, fasciis, ferulis, spleniis, cucurbitulis. Quibus si nihil proficitur, progredi oportet ad sæuiora, vt ferramenta. Et si ea morbum non auferunt, crudelissimus ignis adhibetur, sed efficacissimus. Inexpugnabilis morbus, qui istorum remediorum vires eluserit. Cancer ante pubertatem insolens, nec medicamento, nec sectione, nec vstione percuratur. Strumæ tamen pharmaco, ferro, igne indomitæ, Christianissimi Regis contactu euanescunt.

HVMORIS morbifici affluxus repellentibus cedit, aut fasciis infernè sursum obductis. Iam illapsus vacuatur resoluentibus, emollientibus, attenuantibus, suppurantibus, quæ plerúmque sunt frigida. Alioquin exulcerante medicamento ei datur exitus. Si pus altiùs delitescit, scalpellus adigitur ad simplicem sectionem, vel multiplicem, quæ περιαίρεσις dicitur, vstioni præferenda, nisi malignitas subsit. Concretus humor in oculo acu solâ deprimitur, resolui nequit medicamentis ὀξυδερκικοῖς, quæ per se nulla sunt. Σαρκοκήλη curatur excisione testiculorum: qui in maribus, exactâ pubertate, nisi appareant, virilis & coniugalis officij spem omnem adimunt, voce, pilo, & corporis reliqui habitu virili fallacem.

CALCVLVS in vesicâ (qui, à quadragesimo secundo anno ad sexagesimum tertium, non enascitur, vt neque strumæ) nullis lithonthripticis frangitur, ferramentis solis extrahitur in omni sexu, tempestate, ætate: in fœminis, & autumno securiùs: pueris quidem minore apparatu instrumentorum, maiore verò & apparatu, & periculo, viris & adultis. In his scilicet, præter scalpellum & vncum, ductores & forcipes requiruntur. Gangrænâ vel Sphacelo pars obsessa nullâ antidoto seruatur: recidenda cultro falcato, & serrulâ diuidendis ossibus idoneâ. Post amputatum membrum, sanguinis inde manantis profluuium, emplasticis medicamentis, & vasorum deligationibus, compescendum potiùs, quàm ferramentis ignitis. Vstioni in plerísque aliis locus est, quæ vel à caustico medicamento fit, vel ab igne. Huius actio celerior, salubrior, securior. Mala medicina, in quâ naturæ aliquid perit, sed ad reliqui corporis conseruationem plerúmque vsurpanda.

Ergo à tribus externa.



PONEBAT FRANCISCVS ELLAIN PARISINVS, ANNO 1600.